Cracoviensis Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Philosophor. Ordinis
1697. die 30 Martii.

~~Poezya~~ 3075.

Tyksinski Josephi: Columnae literat. honoris philosophicis laureis ornatae.

COLUMNÆ
LITERATI HONORIS, PHILOSOPHICIS LAVREIS ORNATÆ,
à Pallade Iagellonica,

Decurrentibus per Olympia virtutis & eruditionis Stadiodromis,

VIII. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatis,

Dum Iidem

PER

Clarissimum & Admodùm Reverendum Dominum,

D. M. SAMUELEM IOANNEM PODGURSKI,

Philosophiæ Doctorem & Professorem, Collegam Minorem, Sacra Authoritate Apostolica Notarium Publicum,

Artium et Philosophiæ Baccalaurei,

In Augusta Divi Iagellonis Aula,

Præsente Illustrium Hospitum Corona,

Ritu Solenni,

RENVNTIARENTVR;

EXPOSITÆ.

Et à

IOSEPHO TYXINSKI, eiusdem Laureæ Candidato,

Officioso calamo,

In vim gratulatorij applausûs, & fraterni affectûs

ADVMBRATÆ.

Anno ad Bravium Salutis nostræ currentis Divini Athletæ 1697. *Die* 30. *Mart.*

CRACOVIÆ, Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL, S. R. M. Typog.

IN STEMMA
Perilluſtris & Admodum Reverendi Domini.



Fulmina non metuis fati, nec ſortis iniquæ,
A ſævo Laurus fulmine tuta manet.
Munitus CLYPEO zelas pro Nomine Divûm,
Ac hoſtes fidei vincis in Orbe Sacro.
Ergo longa Tibi deſignet tempora LAVRVS:
Sub CLYPEO Columen vive perenne DEO.

MICHAEL DE KRZYŻOWA KRZYZOWSKI,
Auditor Eloquentiæ.

PERILLVSTRI & ADMODVM REVERENDO DOMINO,

D. IOANNI STANISLAO JAROSZEWSKI

Artium et Philosophiæ Doctori, Ecclesiæ Collegiatæ Tarnoviensis Cancellario, Præposito Szędziszoviensi, Svinecensi Curato &c.

DOMINO & PATRONO AMPLISSIMO.

QVando orbatum Patriæ Diadema, æstuantes Candidato-
rum animos, nativo quodam in sui magnitudinem, & decorem
accendit desiderio, vt pari anhelitu ad aßequendum illud elu-
ctentur; quos aut gloriæ appetitu, aut boni publici commo-
do, in album fortunæ notârunt merita; certè nec nobis extra
viam laudis est, si auspice Tuo Nomine, ad Columnas litera-
ti honoris stadium inimus & laborem. Perillustris & Ad-
modum Reverende Domine. *Non ipsis enim, pretiosa*
lapidum serie, & gemmarum intervallo distinctis, quæ hic ser-
vantur Coronis, dives Cracovia: habet & Iagellonica Pallas viciendis eruditorum
frontibus virentes tænias; quibus, gloriosa hæc animorum Imperatrix illorum tantùm
solet redimire tempora, quos non astutâ Lesconis arte, sed apertis exercitiorum
tramitibus currentes advertit Stadiodromos ad Columnas Philosophicæ dignitatis.
Porro certamen hoc in Olympijs Scholasticis, quis non ad nutus votorum nostrorum
saliente fortunâ censebit incboatum? postquàm commeantibus nobis ad metam per-
fectionis præsentibus assignatam Columnis, Te Authorem & Antesignanum, vtpotè IO-
ANNEM, *elegerimus. Quippe nec ipsius Cæsaris olim fortunam vehentes navarchi,*
feliciùs in propositis steterunt insulis; quemadmodùm nobis non vano omine ad Colu-
mnas primi Philosophici honoris, inclyto Nomine Tuo decoratas, felicem stationem fo-
re permißum est vaticinari. Manet nos in hoc tractu longè verior felicitas, quàm
ex Tripode orta Apollinis; cui ad depromendum prosperi eventûs oraculum, etsi nul-
lam consecramus hecatomben, scimus tamen fortunatum nos per asperos difficulta-
tum calles aßecuturos scopum, quem nobis gloriæ & meritorum Tuorum tot emblemata
consignant. Impreßisti nobis victorioso Tuæ Sapientiæ paßu vestigia, ut illa non iam
sequamur, quæ nec annorum aßequenda decempedis, nec redivivo Miltiadi, (cui ali-
orum gloria calcar fuit) tentanda; verùm ut amplitudinem eorum ipsa admiratione
ingenij metiamur; quomodo in hac athletica, ut secundus eßes, primis virtutum &
prudentiæ gradibus ivisti ad Laurum, quam olim in Capitolio Palladis Iagellonicæ,
nunc in Augustali Divorum habes pro triumpho. Hæc certè dum se in Tuum transpor-
tavit verticem, pulchriùs vernare visa est; quàm si in sui Numinis hæreditaria fron-
te vireret collocata. Monstrâsti, pacatas etiam inter strepitus aulæ Phœbum habere
stationes. Docuisti in altis Magnatum ædificijs Parnaßum eße, & in publico priva-
ta manere Gymnasia, dum Te instituendis POTOCCIANÆ *Prosapiæ Ascanijs, quo-*
rum magnitudine integritas Patriæ augeatur, virtus propria promovit Moderatorem.
Ex

Ex Familiâ istius Illustrissimæ *summa celsitudine, Tuam metire magnitudinem: Non Pelleos Iuvenes, sed Pilavij sangvinis Heroes, sublimi eruditione ad magna quæq; duxisti, alter Orbis Nostri Stagyrites. Augustum Gentilitiæ* CRUCIS *Trophæum, & vnica Patriæ nostræ salus, Tibi Columna fuit Triumphalis. Plùs vltra laborum Tuorum circa illius cultum impendens, exploratam virtutem Tuam erudito Orbi demonstrâsti, quæ* sub hoc signo *victrix digna exstitit, quæ magnos Patriæ Scipiadas educaret, & ad gloriæ metas educeret. Per omnes sæculorum trieterides celebrandum, & in posteritatis memoria nunquàm tumulandum Nomen Tuum fecisti, ingens sapientiæ Tuæ specimen in Tergemino Columine* POTOCCIANÆ CRUCIS *Orbi demonstrans Sarmatico; vbi grandem Iliadem magnorum* POTOCCIANÆ *Domûs meritorum, nucleo eruditi huius scripti complexus es. Te novum Plinium Sarmaticis Traianis gratiùs novimus, dum* CZARNECCIANÆ, *feliciori quàm Iasonis Argo Cymbæ, quæ fortunam Regni vexit, Epithalamicum celeusma cecinisti. Alijs obscurus Aristoteles, Tibi luce meridiana clarior: Tu tortuosos eius difficultatum Euryppos feliciter superâsti, & quidquid reconditum in penetralibus sublimioris literaturæ hæret, id totum pernici ingenio assecutus, audientibus ex Cathedra communicâsti. Qualis adhuc sis; illa in eloquio gratia, ille in actionibus vigor, illa cum omnibus comitas, cum singulis rectitudo, cum utrisq; benevolentia & concentratus omnium virtutum decor, mille probat documentis. Tantarum mentis qualitatum verus æstimator in vtraq; Republica magnorum Virorum animus, ad omne honoris culmen candidum Tibi adiecit calculum. Prodromum Tibi egit Labarum triumphale* POTOCCIANÆ CRUCIS *ad Ecclesiasticas dignitates; cùm Te Tiarato Capiti omnium virtutum ornamentis præfulgentem Mystam, ad Szedzissoviensem Præposituram præsentaret. Tantus nempe virtutum & eruditionis splendor, sub modio modestiæ Tuæ, diu latere non potuit, quin in Candelabro præeminentiæ Ecclesiasticæ poneretur. O quomodo radios solidioris doctrinæ & probitatis spargis in gregem Tuum! cum Te eximium Ecclesiarum decus, Sacerdotum exemplar, Sacrorum Cynearum Tripodem, quot verba, tot oracula, pro rostris Ecclesiasticis fundentem, omnes mirentur & venerentur. Felicem Christi Vineam! vbi Tu hortulanum agis, virtutes exemplo, pietatem orationibus radicando. Tarnoviensis Basilica, cultûs Divini iam maiorem agnoscit zelum; vbi Tu tanquàm signaculum probitatis, illius Capituli factus es Cancellarius. Obsigillâsti hoc insigni honoris Tui, aucto purioris conscientiæ lumine hominum pectora, ne ampliùs ad secretius animæ à peccatis expiatæ conclave, fraudulentas stygij Sinonis suggestiones admittant. Excavas Tibi perenniùs quàm in cedro, in cordibus omnium nominis immortalitatem, quoties cælestibus edictis aures Tecum loquentium expolis, dedolasq;. Ad ædes Sacrosanctæ Crucis, quantas in populo excites devotiones! quanta piorum pectorum moveas suspiria! dicat cælum; testetur congressus hominum, ad Indulgentias Tuâ curâ à Sede Apostolica concessas, congregatorum. Observat hoc indefessum virtutum Tuarum argumentum Diœcesis hæc amplissima; notant vniversi circa Ovile Christi labores Tuos; & jam tacitis votis de vlterioribus, Tibi cogitant honoribus, quos Tu nobilis illorum transfuga, vbi potes, evitas. Quarè Superi Te conservent vlteriùs, plenâ manu benedictionem Tibi impertiatur Numen æternum; vt maiori in Ecclesia honorum splendore Nomen Tuum clarescat, (sicut modo meritorum Tuorum nunquàm Columnas ponis terminales.) Ita voveo & precor.*

PERILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDÆ
DOMINATIONIS VESTRÆ

Humillimus servus

IOSEPHUS TYXINSKI,
Primæ Laureæ Candidatus.

B. JOANNI CANTIO,

Regni Poloniæ, et Academiæ Cracoviensis PATRONO,

Ode Votiva,

Vt sua intercessione efficiat, nè Competitores ad Columnam Regni diademate augustam, Lesconis passibus, sed potiùs virtutis stadio, & boni publici studio decurrant.

INter Euxini rabiem furentis,
Inter Arctoæ Nemesisq; plagas,
Dive, spes rerum, Lechici Trionis
Fortior Atlas.

Grande munimen; bimaris Corynthi
Æs cui cedit; Pharios paratus,
Iamq; fastidit Syrij vetustas
Mænia luxûs.

Clara præfulges Cynosura, sudum
Eripit Martis quoties procella:
Tu Pharos qvando Geticâ Propontis
Æstuat vndâ.

Ignibus discors Stygijs Erynnis,
Dum vices miscet variantis ævi,
Temperas fasces Stator, & Poloni
Iuppiter Axis:

Tela cûi debet Volucris Lechæa;
Quêis jacet Bessus truculentus, & quæ,
Thraciæ contra nova monstra Phlegræ,
Fulmina misit.

Dum Tui servat Cineres sacratos
Cracidum Phocis, Tripodem celebrat,
Atq; Cortinam velut, æstimando
Pignora tanta.

Vnde responsis teneros Quirites
Patriæ format; serie vt perenni,
Indoles surgat generosa, tanquam
Semine Cadmi.

 Hinc

Hinc suis pronus, Columen trophæis
Vandali Potor posuit, Sacris Te
Laudibus tollens; vbi vasta Tybris
Littora lambit.

Dive sed rursus faciem serenam
Explica; Regni gravior Columnam
Æolus turbat, titubantq; Sceptra
Cardine moto.

Persei Scutum Lechici, catervam
Siderum fecit numerosiorem;
Bistoni, hoc viso, riguêre pigro
Pectora saxo.

Gaudet Orchestræ bravio perenni
Ille; nos cunctis referamur oris
Circus; Eleo veluti parantes
Sacra Tonanti.

Colchicis donis pretiosiore
Sorte præfulgens, petitur Columna;
Huc meant, qvorum Patrius recoxit
Pectora Phæbus.

Fontium Rheni dominator, Albim
Qui bibit, lenti Rhodaniq; Potor,
Convolant, & quos graviora torquent
Flabra Bootæ.

Ergo Lesconis diadema passu
Ne petant; recti stadio ast, boniq;
Publici currant studio, precamur:
Annue votis.

Fama sic Regum veteres Columnas
Chrabrij vincet, similesq; ponet
Compedes Istro: Tua sic obibit
Gloria Gades.

CLARISSIMIS EXCELLENTISSIMIS, & ADMODVM
REVERENDIS DOMINIS,

D.D. EXAMINATORIBVS,

Clarißimo & Admodùm Reverendo Domino,

D.M. ALBERTO TOPINSKI

Philosophiæ Doctori, Regio Professori, Collegæ Majori, Eccles. Colleg: S. ANNÆ Crac: Canonico, ac interea Artisticæ Facultatis DECANO,

Excel-

Clarißimo & Excellentißimo Domino,

D. M. ALBERTO PETRO WOLSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Astronomiæ Ordinario Professori,

Clarißimo & Admodum Reverendo Domino,

D. M. SAMVELI IOANNI PODGVRSKI,

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegæ Minori, Sacrâ Authoritate Apostolicâ Notario Publico,

Columna gratitudinis; quam Aristoteles Platoni Athenis curavit erigi, cum Lemmate:

Semper honos vester, nomen, laudesq; manebunt.

Æternitatis per Capitolia,
Perenne fastis nomen eburneis
Sacrare celsis, & Columnas
Perpetui decoris mereri;
Hoc grande factum, Ternio nobilis
Tentas Virorum; cuncta perennibus
Condigna cedris nam relinquis,
Diphthera quæq; Iovis notavit.
Videmus in Te nomen honoribus
Clarere dignum, parta laboribus
Exstare virtutis trophæa;
Astra quibus superes TOPINSKI.
Te splendor ambit purpureus; jubar
Virtutis in Te Palladis eminet;
Tu clara lux, & fax Sophorum,
Tu Craciæ columen Camenæ.
Alter Cleantes, continuas agis
Labore noctes; Attica quàm Tibi
Placet Volucris excubanti,
Ad monumenta diu erudita.
Te disputantûm magna Cohors colit:
Te docta Pallas murice Principem
Iam jam bis ornat, datq; celsum
Culmen, in imperio Stagyræ.

Miramur in Te nominis ambitum,
Inter Polorum sidera transvehi,
Ipsoq; sub solis theatro,
Magnanimum solium tenere,
Laudande WOLSKI; *Sideris aurei*
Cælum serenos quando dies agit;
Tu Sole perlucente, cælum
Ingenio penetras sagaci.
Stellas quot æther, quot radios parit
Fulgore Titan splendidus aureo,
Quot clara per noctem nitores
Luna regit, reticente mundo;
Tot gloriosis fama jugalibus
Perennitati Te vehet, & feret
Sub astra cæli, Te Mathesis
Docta suis celebrabit actis.
Mirantur in Te signa perennium
Musæ laborum, perpetuis Tuam
Vigere PODGVRSKI *videmus*
Temporibus celebrande famam.
Relucet in Te vis Sapientiæ, &
Scientiarum grande chaos; decus
Stoæ, sacratæ Tu probatus
Es toties Themidis Sacerdos.
Testantur illam Rostra scientiam;
Et literatæ pulpita Palladis;
Alter Pericles fulminanti
Ore tonas, tonitruq; vocis
Ex ore pandis. Nulla negotium
Vestrum tacebit Musa, silentio
Sopita permagno; perennes
Fama panegyribus libellos
In vestra tradet præmia; quos legent
Seri nepotes: vivite posteris
Sæclis celebrandi, futuris
Vester honor remanebit annis.
Loquentur illum posthuma sæcula:
Præsens futuris temporibus notat
Ætas, secutura imminenti
Posteritas memorabit ævo.

COLV-

COLUMNÆ
LITERATI HONORIS, PHILOSOPHICIS LAVREIS ORNATÆ.

I. V.D. ALBERTO OZGIEWICZ, Leopol.

Columna Corinthia, ex marmore ibidem reperto affabrè facta, Leonis effigie insignita.

Cum Lemmate: Ornat & armat.

ANte Corinthiadum constructas arte Columnas
Marmorei lapidis, recubat custos Leo fortis,
Currentes spectans Athletas; tangere rectam
Qui cupiunt metam, celsos famæq; colossos
Figere qui poscunt, auro cedroq; notandos.
Heros Palladius docti certaminis inter
Agmina decurrens, dum primus in ordine metam
Apprendis, meritò decuit Te hæc bina Corona,
Vtpote magnanimo insignita Leone Columna;
Es qui Roxiaci cor, deliciumq; Leonis
OZGIEWICZ, clara Regum prognatus in Vrbe,
Dotibus ingenij clarus, virtutibus almis
Fulgens, progenies magni dilecta Parentis;
Ornas inde pares, meritis, & laude decorus.
Armis estò cares, gestas sub pectore docto
Palladis arma tamen, valeas cùm robore mentis.
Fortis inest Tibi vis Svadæ, nexusq; ligavit
Te sibi Pieridum; sapienti dogmata solvis
Ore Sophûm; sub Porphyrijs es clarior vmbris.
Vivas ergo diu viridanti tempora Lauro
Præcingens, Patriæ, nostri studijq; Columna
Esto; velut Leo fortis superando labores
Mente polum tangas; dignam meritisq; Coronam
Sumas; longævos ducas & Nestoris annos.

II. V.D. IACOBO SIERZYCKI,

Columna Herculis.

Cum Epigraphè: Plus ultra.

MUsa, magnorum celebras Virorum
Gestaque, festum canis atq; nomen;
Herculis, famam revehis sub astra
Atq; Columnas,

Advoles cursu celeri, perennes
Possis vt dignè resonare laudes
Mentis & docta, genijq; magni
Pollice Sacro.

Docte SIERZYCKI, *viridi Corymbo*
Te loquor cinctum, studijsq; clarum;
Clio Plus vltra *Tibi scribet omni*
Tempore laudum;

Stoa Plus vltra *feret ipsa fama:*
Svada, quâ polles, Ciceroniana,
Nomini firmum columen parabit
Omne per ævum.

Ergo, plus vltra, meritis coruscus,
Fulgeas Orbi probitate mentis:
Viue, plus vltra, numeresq; soles
(Opto) serenos.

IV. V.D. IOANNI KVBESZOWSKI,

Columna Luculli Consulis, ex marmore à se Romam primùm invecta.
Cum Lemmate: Pulchriùs inde nitet.

IMperij Latij fulcrumq; decusq; Lucullus,
Divitijs celebris;
Heros magnanimus, miles fortissimus armis,
Nobilis ingenio;
Fama volat cujus vastas trans Tyberis vndas,
Et super astra Poli;
Hostibus innumeris victis, construxerat olim
Magnificum sat opus:
Marmore de duro, invecto à se (nempe Columnam)
Sub sua tecta priùs.
Hic Tibi KVBESZOWSKI offertur quando Colossus,
Hic Tua fama manet:
Hic notat & firmas vires: cui mentis eburnæ
Nobile robur adest.
Eloquio polles, & dogmata docta resolvis
Ingenio stabili.
Ornabit quare meritò tua tempora Laurus,
Tempore perpetuo:
Quæ Tibi monstrabit præcelsum culmen honoris,
Præmia digna viro.

V. V.D. CASIMIRO WACHOWICZ,

Columna Dorica ex Ophite, in cuius vertice imago Svadæ.
Cum Epigraphe: Hanc Victrix facundia poscit.

VIrtutis pretium perennioris,
Cæli lumine clariùs nitentis,
Æstimare sequax cupit Lycei
Si quis Palladij, cedro notandam
Ac gemmis, celebrare non valebit.

Lau-

Laudes, præmia, Tullij diserti
Svadas mille meretur hæc: Colossos
Famæ mille, Columna de lapillo
WACHOWICZ *pretioso Ophite fulgens*
Offertur Tibi, denotans perenne
Virtutis pretium, laboris atq;.
Svadæ vertice cuius in supremo
Spectas effigiem; disertus ore
Cum sis, ingenio coruscus, altæ
Et mentis probitate: victor inter
Athletas sapientiæ Togatos.
Vivas perpetuo proinde Svadæ
Heros, Palladiæ decusq; Stoæ,
Et nostri studij Columna pulchra,
Præcinctus viridi manens Corymbo.

VI. V.D. STANISLAO WARYSKI.

Columna Ionica, icone Vraniæ insignita.

Cum Lemmate: Spectanti sidera cæli.

NOn humili mercede viros sapientia donat,
Sed celsos animos collocat illa polo.
Sicne Minerva suos asseclas tollit ad astra?
Mens quorum sapiens serpere nescit humi.
In tellure licet maneat vir doctus, in alto
Hic tamen existit culmine, summa petens
Sic: nam terrigênum transcendit climata virtus,
Et doctrina virûm; quos beat almus honor.
Sic Te Diva potens WARYSKI, vertice summo
Excelsum ponit, condecoratq; caput,
Nam Tu excelsa Sophûm complexus dogmata mente,
Astrorum celeres noscis abundè gyros.
Elucent in Te Probitas, Constantia, Virtus,
Ingenijq; vires hæcce Columna notat.
Hinc quâ laude viges, docto celebratus in Orbe,
Laurea testis erit, quam dat Apollo Tibi.
Ergo tanta Tuæ virtutis dona prehende,
Quanta Tuæ famæ structa Columna feret.

VII. V. D. IOANNI SOBKOWSKI,

Columna Ephesina Dianæ argentea.

Cum Epigraphe: Niveo sic pectore clares.

ROscida vix hilares depingit Flora colores,
Marcet & ipse rosæ pudor, excandescit acerbo
Afflatu Boreas, quando prædatur amænam
Hortorum faciem: nam tunc mutatur & ipsum
Alcinoi regnum florens, textiq; arboribus horti
Frondibus eximijs viduantur: candida semper
Pectora non metuunt hyemes, argenteus illis

Est color, in menses, annos, & sæcla perennis.
Felix cui niveo frondescens virga metallo,
Crescit in eximiam plausûs, laudisq; columnam.
Hanc Tibi fert Ephesus, Craeia donantq; Camana;
Pectore nam nitido SOBKOWSKI *candide clares.*
Mores, Ingenium, Probitas in Te nitet alta
Indolis, affulget pulchraq; modestia forma.
Os Tibi flexanimis niveum facundia tingit,
Prodit & ex ipso victrix Sapientia corde.
Quare, dum meritis dignos attingis honores,
Præmia grata tene, sublimibus alta Columnis.

VIII. V.D. ANDREÆ ARTWINSKI,

Columna CAROLI V. *Imperatoris Symbolica.*

Cum Lemmate; Non hic ultima.

PRimo principio ferre coronidem,
Virtutisq; suæ cœpta relinquere,
Hæc mens, eximijs insolita est Viris,
Queis certare placet diu.

Virtus egregio pectore permanens,
Lentis non subitò provehitur rotis;
Hos vltra stimulat, qui bona gesserint
Vrgens corona laboribus.

Istis nullus enim præmia dat labor;
Quos à fine operis detinuit timor;
Merces magna nimis, talibus evenit,
Quos facti generositas

Perfecti celebrat. Numina gloriæ
ARTWINSKI recinunt, quod bene cæperis;
Necdum fixa Tuæ meta Scientiæ,
Plures illa feret gradus.

Cognomen proprium ducis ab artibus,
Tu fies Cracijs arte Tua decus
Musis; Tu columen, gloria Tu Sophûm,
Vates doctus Apollinis.

Ergo nobilibus laudibus augeat
Te virtus, meritis præmia det Tuis:
Munus Symbolici sumito verticis;
Famæ surget in omina.

III. V.D.

III. V. D. IOSEPHO TYXINSKI,

Primæ Laureæ Candidato,

Authori Operis,

In argumentum mutui affectûs, & gratulatorij applausûs

V, D. IOANNES KUBESZOWSKI,

Ejusdem Laureæ Candidatus, offert

Columnam Atticam ex marmore Thebaico, quatuor angulorum parilaterum Apollinis & Musarum Iconibus decoratam.

Cum Epigraphe ; A cunctis sume Coronas.

DIlecta Phœbo gloria barbiti
Quantùm vigescat, Thespiacum melos
Plectroq; TYXINSKI sonoro
Polleat, exsuperetq; priscum
In Te Pelasgæ Nomen adoreæ
Circus Columnis conspicuus probat;
Nostro parâsti quas honori,
Eximio cumulando censu
Duri laboris munia : sic Tibi
Donant Camœnæ Threïciam chelym;
Lucos silentes Orpheus quâ
Duxerat, & Rhodopeja saxa;
Pulsans eburnam qui potuit fidem,
Thebana Vates mœnia condere ;
Deduxit in molem superbam
Exuvias variantis ævi.
Tu quàm secundo pollice, Cynthij
Arguta pulses plectra, celebriùs,
Monstrant perennantes Tui, quos
Dædala mens posuit, Colossi.
Proin vicissim ponimus Attica
Referta votis Marmora ; quêis Tuus
Compage quadrata perennet,
Nec metuat cariem senectæ
Honor : refulget proût Heliconia
Hîc aula, Sacrum pectore sic Tuo
Pindum recondis ; scimus unde
Castalium fluitare nectar,
Et mella Suadæ dulcia, nobili
Manare rivo : vocibus omnium,
Athleta curras hinc secundis,
Palladios referens Corymbos.

Eidem Authori Operis,

V. D. ANDREAS ARTWINSKI, Primæ Laureæ Cand:

In vim fraternæ propensionis, erigit

Columnam ex Marmore Charisteo viridis & oculos reficientis coloris.

Cum Lemmate ; Lauro concolor, iste color.

INnixa magno culmine gloriæ
Columna surgat, perpetuum decus
Latura pro tanto labore,
Qui Craciam celebrat Minervam,

TY-

TYXINSCI honori. Plaudat Apollinis
Parnassus altus, Pieridum canens
Chorus resultet, celsiores
Fama ferat merito Colossos.
Nos, quos advmbras laudibus inclytè,
Nescimus aptas reddere gratias,
Sciet IAROSZEWSKI, Camænam
Præmia quanta Tuam sequentur.
Ad hanc Columnam, Te CASIMIRI amor
Fratris vocavit, qui prior artibus
Exempla demonstrans, eandem
Iam retulit meritò Coronam.
Post hunc, Athenis Sarmaticis Craci
Dilectus, amplæ sis Patriæ tuæ
Columna, crescens ad Cathedras,
Vive diu, pete serus astra.

SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS,

Magnifici Perillustris & Admodum Reverendi Domini,

D. M. CHRISTOPHORI

S O W I N S K I,

Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris, Collegæ Maioris, Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI Floren: Decani, SS. Omnium Crac: Præpositi, Custodis Pilecensis, Cancellarij Posnaniensis, Curati Prossovicensis, Contubernii Philosophorum Provisoris, Studii Almæ Vniuersitatis Cracoviensis Generalis & Vigilantissimi

RECTORIS.